



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Societatis Iesv Pars ...

Pars Secvnda, Sive Lainivs

Orlandini, Nicola

Antverpiae, 1620

Prooemivm De Genere Et Consilio Hvivs Historiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13974

PROOEMIUM DE GENERE ET CONSILIO HUIUS HISTORIAE.



QUOD continens seculorum recepit usus, ut Historia conditores, quas quisque res tradendas posteritati susceperint, omnium ferè primas putent; lectorumque audacitatem haudquaquam dissimulanter perque insinuationum blandos anfractus, sed aperto rectoque studio colligant: id mihi quoque concedi æquius eo sit, quo iustius postulatur. Quod si sacri quidquam ad rem facit auctoritas exempli, detur & mihi, (quanquam nulla re comparanda) quod S. Paulus omni sibi

Rom. II.

I.
Comparatio
Religiosæ
Historiæ cum
profana
militari:

iure sumpsit, ut honorificem ministerium meum. Nam, ut scriptorem hic separem: nec me Historicorum numero inserere audeam; materiæ quidem non appetenti mihi, sed diffidenti oblatum genus, ut ignorare hominis non modesti magis quam stolidi; ita dissimulare ingrati videatur potius, quam pudentis. Neque hic profanis bellis sacra compararim. Bella nos condimus, non populorum inter se, (quanquam & hæc in loco tacita præteriri non licet sed gentis humane cum monstris tyrannisque tartareis; quorum nec potentie ferociaque, nec prauitati aut malitia, ac ne numero quidem velle adequari possint mortales opes. Bella non per amplas susa provincias, sed quidquid terræ, quidquid maris usquam est patefactum, amplexa. Bella, quibus cum toto pugnetur orbe terrarum, non tamen de orbe terrarum dimicatio est, sed de imperio celi. Ita quæ totius hic mortalium rerum mundus pro campo est nobis; victoriæ merces ille immortalis, triumphis non in Romanum Capitolium ad breuem diem, sed in beatam Ierusalem, Romanique caelestem ad æternitatem inuehendis. Nostorum summa bellorum non robore ac firmitate corporum, quibus & multa belluarum præpollent, sed animorum virtute constat: qua vna vincere plena victoria est, vinci vera clades. Quid de armis dicam, quæ caelestia? de imperatore, qui Christus est? de præda, quæ non corrumpitur, sed beatur? Nam quidquid infertur hic vastitatis, excidium est vitiorum. Cum his igitur contendam bella profana, quæ non raro ab scelere orta, & geruntur cum scelere, & perpetrantur; cum hæc à virtute profecta cum virtute administrantur, desinant in virtutem? Quid vllam in partem, nisi in diuersum conuenit? Nam ut illic nitidissimas regiones vastari, pulcherrimas vrbes euerti, sacra violari, deleri imperia, populos mancipari, sanguine, flamma, rapinis sædari omnia, Martium facinus, ac triumphum meritum est: ita hic excoli aspretæ in Paradisi delicias, excitari templa, expiari impia & consecrari, municipia celi fundari, ad regnum, ad thesauros immortales, ad sempiternam beatitatem vocari miserrimos; omnia pijs lacrymarum imbribus, amabili caritatis incendio, salutaribus benignitatis fontibus enitescere, Saluatoris est opus, & victoria crucis. Denique ut trucidatorum illic millia numerantur, ita census hic agitur vitæ restitutorum. Quæ cum certe infra potius, quam supra meritum rerum dicantur, quantum distant diuina humanis, æterna breuibus; quid obsecro est, quam obrem homines, quorum est propria humanitas, ad spectacula immanitatis tanto impeturo apiantur, hæc autem consentanea generi suo, tantoque pulchriora ac perinde salubriora magnam partem fastidiant? Enimvero naturalis Historiæ Romanus auctor ex merito exprobrat mira humani ingenij peste fieri, ut sanguinem ac cadem condere annalibus inuet mundi ipsius ignaris. Concionabundus verò Seneca peruersitatem eandem, quatenus

cum naturali, ac
moralibus
Ethnicorum.
Plin. li. 2.
cap. 29.

nus

nus bella moribus præferuntur, illa orationis gravitate incessit ac deplorat. Consum-
 ptere se quidam dum acta Regum externorum componunt: quæq; passi
 inuicem, ausiq; sunt populi. Quanto satius est sua mala extinguere, quam a-
 liena postteris tradere? Quanto potius deorum opera celebrare, quam Phi-
 lippi aut Alexandri latrocinia, cæterorumq; , qui exitio gentium clari, non
 minores fuere pestes mortalium, quam inundatio, qua planum omne per-
 fusum est; quam conflagratio, qua magna pars animantium exaruit? Quem-
 admodum Annibal superauerit Alpes scribunt: quemadmodum confirma-
 tum Hispaniæ cladibus bellum Italiæ inopinatus intulerit, infractisq; rebus,
 etiam post Carthaginem pertinax, Reges pererrauerit, contra Romanos
 ducem se promittens etiam sine exercitu: quemadmodum non desierit senex
 omnibus angulis bellum quærere, adeo sine patria esse pati poterat, sine
 hoste non poterat. Quanto satius quid faciendum sit, quam quid factum
 sit quærere? ac docere eos, qui sua permiscere fortune, nihil stabile ab illa da-
 tum esse, eius omnia fluere aura mobilius? Quod si vel nature opera, vel huma-
 norum morum culturam, et intra eiusdem nature limite continentur, homines in sa-
 pientia Romana primi subbellij usque eo scriptu digniora lectuque quam cruentas bel-
 lorum strages, et regnorum exitia consuerunt; apparet de Religiosis quid sit existi-
 mandum Historiis, quæ quanto bellicis naturalibusque, tanto ipsæ ac longè ampliùs
 vtrisque antistant. Hic enim ipsam videas, quæ suo in regno tam inexorabilis domina
 est, ancillam fieri naturæ; quocunque vocetur, sequi; omnem ponere, et induere faciem,
 ut appareat Christo, et famuletur. Spectacula hic hominum offeruntur usque eo supra
 nubes supraque modum humanum elatorum, ut propiores iam celo sint, mentibusque
 beatis, quam terrene origini similiores. Hic suum Christi gratia quemdam fabricatur,
 fouetque, et quasi animat mundum, cuius vniuersa hæc natura pulchritudo atque per-
 fectio vix prima linea et adumbratio consoatur. Hinc verò est consequens, ut quæ ta-
 lia exequuntur Historia, paribus quadam portione gradibus super eas omnes, quæ na-
 turæ inclusa finibus produnt, excellant.

Sed inter ipsas Religiosas quem locum hæc nostra meretur, existimari hinc poterit.
 Seuerioris discipline primi conditores exiguum habuere commercium cum procuratore
 alienæ salutis. Monachos sese profitebantur, et sola petebant loca, ut secum toti, cumque
 celestibus, oblitum propè mortaliū, essent. Familie his deinde successerunt, quæ haud pau-
 lo liberalius partem curarum in communes utilitates deriuauerunt: verumtamen et ad
 concinendas per otium diuinas laudes certa sibi interualla, et ad officia aliareferuarunt:
 nec munera nisi quadam priuatisque gerenda modis assumpserunt. Exitit demum hic,
 de quo nos molimur, cœtus, qui partem vtramque studio summo complexus, nihil, quod ad
 perficiendam suorum virtutem, nihil quod ad alienam pertineret, omisit: et connexuit
 inter se partes eas, inuicemque ita permiscuit, ut quidquid priuatim proficeretur, id omne
 publice quoque prodesset. Quid enim desiderari ampliùs ad disciplinam domesticam, et
 propriam cuiusque alendam virtutem potest, ubi Tirocinij ea ratio est? illa graduum di-
 stinctio, et cooptatio in eos: Moderatorum talis creatio: ita septa paupertas: ambitioni sic
 aditus interclusus? tum illa interiora, et inprimis efficacia, tantus obedientiæ, tantus
 explorandæ conscientiæ, et meditandi, tantus diuinorum mysteriorum usus? Etenim per-
 fectio cum in eo sit posita, ut per purgatus à vitiis animus, et illuminatus virtutibus quæ
 similimus fiat, quamque artissime iungatur procreatori suo; et fundamenta sint cog-
 nitio sui Deique, itemque notitia vitandarum rerum et agendarum: nos quidem ipsos, et vi-
 tanda maxime per examē, Deum, et agenda meditatione cognoscimus. Ad hæc cuiusvis
 facultatis disciplina cum ita facillime comparetur, si ex consilio et præmeditatione

II.
 Huius cõ-
 paratio
 operis cum
 Religiosis
 similibus.

agas præcognitis & obseruatis agendi rationibus, tum actionem postea ipsam, & opus
 recognoscas, & ad propositam regulam exigas; id omne cum meditatio præstat, quæ
 præcognoscit vias atque proponit; tum examen, quod facta ad iudicium, & ad limam
 reuocat: nec solum probat, aut damnat, sed & causas peruestigat erroris aut succes-
 sus; quas vitæ in posterum, vel sequamur. Obedientia vero si vigeat, ita ab se ipso,
 ac suis quemque appetitionibus se iungit ac separat, cumque diuina conferit volunta-
 te, ut una omnes consummata sapientiæ partes complexa videatur. Ad hæc autem
 efficienda, quoniam supra vires nature sunt, cum celesti sit opus auxilio, per frequens
 cum precandi, tum mysteriorum præsidium prouisum est. Sed hæc omittamus. Neque
 enim id ago, ut Ordinem hunc, qui se minimum omnium proficitur, cum aliorum per-
 fectione componam: de altera illa parte, quæ potius ad historiam pertinet, liberius licet
 significare, cum palam sit, totum se, quantuscumque est, ad alienas utilitates contulisse.
 Quæ ipsa cura, vix credibile dictu est, quam & variè, & valide in proprium quoque
 profectum redundet. Nil itaque præcipue sibi temporis, nihil loci munerisue secreuit.
 Quod animis commiseret, alienum ab se nihil putauit: in omnia se vijs omnibus dedit:
 nomine etiam à militia sumpto professus neutiquam se umbra, verum soli natum; in-
 que acie perpetuo stare, assiduum præeunte, & vires sufficiente Jesu, pro liberandis ani-
 mis bellum gerentem. Ita Societatem hanc, (si uno conspectu intuearis) Videre licet
 totam in opere, totam in certamine, domi, peregre, per oppida, per agros, in gymnasiis,
 in templis, circum fora & compita, priuatorum in tectis, inter nosocomiorum squalo-
 rem, inter vincula reorum, ubi ubi spes affulgeat sacræ præde. Hic dimicare cum here-
 ticiis, illic signa Euangelij explicare inter ignaras Christi nationes: per ludibria fluctuum,
 per naufragia, per inuias solitudines, ad vltima rerum properare, ut venetur, quos
 in partem sortis Sanctorum vocet: ubique vero laborare, eniti, contendere, ut iam
 transcriptos in gentem sanctam, & regale sacerdotium ad vitam professione dignam
 adducat; ab vitiorum ac demonum violentia tueatur, ad vltiora honesti prouehat, &
 propius admoueat Deo. Videre licet quasi cohortem in quadam caritatis specula excu-
 bantem semper, & ubique in procinctu. Siue eluues sternat, siue vorat flamma vrbes,
 siue plebem fames depopuletur, siue pestilentia gentes absumat, siue postremo alius qui-
 uis humanorum casuum ingruat; repente accurrere, aduolare, adesse per strages ac flam-
 mas ac funera opem animis; & si queat, etiam corporibus allaturam; connisuramque
 ut mortalitatis damna vertat in lucrum eternitatis. Itaque quamuis de cetero (ut
 dixi) omnium se Religiosarum familiarum agnoscat, haberi que velit postremam; haud
 dubie tamen hac instituti ratione, & munerum operumque varietate vberiore tan-
 to scriptori materiam suggerit, quanto est ipsa sagata ciuitati, quam togata similior,
 quantoque fertilia sunt Historiæ tempora belli, quam pacis.

III.
 Non scri-
 benda sola
 mirabilia,
 & inimita-
 bilia.

Ceterum quemadmodum ille vulgo peruersus, quem paulo antè castigauimus, viget
 error, ut sanctissimis hisce & salutiferis bellis profanorum scelera bellorum & sangui-
 nem anteponan; ita piorum non paucis illa insedit fallax opinio, ut siue in moribus, siue
 in factis, nisi que exaggerata in miraculum sunt, parum digna luce annalium arbitren-
 tur: & que prodigijs contexta monumenta non sint, prope neglectus habeant. Haben-
 da sanè gratia est his, qui Historiæ id genus composuere. Miranda enim prodigia men-
 tes humanas excitant ad venerationem Numinis, ad cogitandam prouidentiam, ad esti-
 mandam potentiam, bonitatem, iustitiam. Quare memoriam eorum consignari fide-
 libus litteris pium ac salutare est. Fastigia quoque summa virtutum, & imitatu ardua
 facta lectorem compungunt, ut excellentissima animaduertenti, ne mediocria quidem
 præstare pudori sit. Quibus de causis talia & nos, quanquam minime affectauimus,
 nec nisi scrupuloso delectu, tamen libenter posuimus; & quidem tam multa, ut, si non
 volumina,

volumina, sed anni conferantur, haud facile sit plura alibi reperire. Verum enim vero haud melius paulo videatur meritorius de publico pietatis, qui non illis dumtaxat contentus, narrationem ad humanum magis usum accommodet, atque Historiam, ut in confesso est apud omnes debere esse, ita ipse faciat magistram vite: perque omnia officiorum genera, gradus per omnes ducat. Etenim cum & praeceptis vita formetur, & exemplis; ut illa sapientes docent utiliora esse, quae non uniuersè traduntur, sed ad singulas aptantur actiones, ita censei equum est prestare exempla, quorum latius pateat usus: & saluberrima moribus esse, quae in cursu rerum quotidiano, negotiisque singulis intueri possis; ut ubique decora praete habeas signata, & quasi consecrata vestigia, quae subsequi, & vestigiis pressisse tuis iuuat. Periculum alioqui sit, ne quem praecelsa tantum suspicere assuesceris, is neque illa praefirmitate conetur assequi, neque media praetemptu curet. Officia quin etiam moderata, eodemque tenore conseruatam discipline aequabilitate, eo impensius commendari par est, quo minus intellectam laudem habent: cum tamen saepenumero nec fructuosa minus, nec ardua; semper autem tutiora sint speciosis illis. Ad haec magnorum virorum nihil ignorare posteri amant. Diligenti autem scriptori non id modo spectandum est, quid saeculo arideat suo, sed simul cui consulenda venturi studia, & quamuis serorum desiderijs indulgendum nepotum. Optabat iure Chrysostomus, quaecumque fecerunt SS. Apostoli, aut aliquo ad eos modo pertinere, ut prodita memoriae essent; ubi fuissent; quas domos intrassent; ubi assedissent; ac cetera talia, quae videmus vel obscura fame testificatione commendata, non solum gratiam, sed & venerationem habere. Id autem & in alijs locum habet virtute eximijs, quamuis Apostolica excellitate inferioribus. Ac ne illud quidem conueniens est, quod nihil tua, patriaeque tue putes interesse, id pro superuacaneo ducere. Alijs fortasse hominibus, alijs poterit terris iucunditatis aliquid & commoditatis afferre. Neque verò publici molitor operis unicuiquam addicit operam suam, sed publicum gentis humanae administrum praebeat sese oportet.

Ante omnia intuendum, quid argumento, quod in manibus quisque habet, consentaneum videatur. Putidum quippe est quidvis à quolibet postulare. Res publica de qua, & cui scribitur, operi modum finit. Proditurus de insectis animalibus Plinius principio legentes precatur, ne, quoniam ex ijs multa spernunt, etiam relata fastidio damnent, cum in contemplatione naturae nihil possit videri superuacuum. Quanto igitur minus fastidendum quidquam erit in gratiae diuinae, & singularis providentiae contemplandis ac describendis operibus? Pleraque eorum, quae retuli, quaeque referam (inquit scriptor, si quisquam, fastidiosus ac censor) parua forsitan ac leuia memoratu videri non sum nescius. Tum excusat tempora, quae memoranda sibi obtigissent. Hac excusatione vereor ne non satis decorum sit Christiani scriptorem apud Christianos vti. Clarus eloquentiae doctor negat quidquam paruum in studiis esse: eoque sibi quaedam, quamuis parua videantur, transcendenda non putat. Quanto id autem verius in studiis pietatis, quam litterarum? Quae ad religionem pertinent, omnia magna sunt. Apud rudem caelestium etatem, ac foedissimis superstitionibus occecatam profitentur Historicorum grauissimi quaedam se, quae alioqui omisuri fuissent, in annales suos, quod pertineant ad religionem, referre. Magnus Alexander terrarum parte magna in potestatem redacta visiborem exercitum ita compellat: Maiora adhuc restant: sed ita nostra erunt quae non dum attigimus, si nihil paruum duxerimus, in quo magna gloriae locus est. An quidquam igitur Christiani paruum censeant, in quo & diuinae, & ipsorum gloriae sempiternae sit locus? Pleraque sunt, inquit Plutarchus, quae si tu tibi ipsi, aut per te ipsum pertractes & agas, abiectus & sordidus merito existimari possis; haec eadem si ciuitati publicè exhibere videaris, non illiberalis & degener, sed generosus

IV.
Nihil in
religione
paruum.
Lib. II.
cap. 2.

Tacit. li. 4.
Annal.

Quintil. li. 10.
cap. 3.

Liu. saepe

Quintus
Curt. li. 9.

Plut. in po-
lit. prae-
ceptis.

cuius haberi queas. Refert igitur non modò quid, sed & cui, & qua gratia fiat. Quod
 si causa publica ministerium quamuis illiberale nobilitat, quanto validius cohonestabit
 Deus? Præclare S. Ambrosius: Totum decet quidquid defertur religioni: ut nul-
 lum obsequium, quod proficiat ad cultum & obseruantiam Christi, erube-
 scamur. *Plato 5. de leg. ad fin.* ut Plato minuti pusillique animi opinionem timendam, quasi parua nimium
 conficiat, si quis præcipiat, ut vasa, atque vniuersa ciuium supellex suam habeat
 modum, nihilque sine certa mensura possideatur. Longius ab opinione tali aberit, qui in
 Republica diuina esse commensa cuncta docuerit, legitimamque, nihil mensura ac iusto modo
 vacare. Quod si per sese quedam spectata, exigua possent videri, ad summam tamē re-
 lata pro magnis habenda sunt. Ad eò ex paruis sæpè magnarum momenta rerum pendent.
 Qui de ciuitatum ordinando statu laudatissimi præcepta ediderunt Plato & Aristote-
 les, inter causas seditionum & euerisionum rei totius publicæ exilitatem, quam *negotio*
 Aristoteles vocat, reponunt: id eò, & præcipuam rerum eiusmodi haberi rationem
 volunt. Musicæque neglectu Polybius auctor est in Arcadia Cynethenses in barbaram
 degenerasse feritatem, cum ceteri Arcadum, qui Musicam diligenter coluerant, admodum
 pij haberentur. Id autem tanto valet amplius in sacris hisce ciuitatibus, quanto perfe-
 ctiores ipsæ sunt: cum perfectissimus ordo leuissima mutatione turbetur, ut pulcherrimam
 formam subtilissimamque concentum vitia vel parua infuscant. Atque utinam plus nimio
 testem usum non haberemus. Nec desunt sapientum nostrorum voces. Illud S. Anselmi
 oraculum est: Vbi minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dis-
 sipatur ac destruitur. Nequaquam igitur tenuia videri, vel superuacanea possunt,
 si quæ interdum ab scriptoribus exempla proferantur in paruare magnæ virtutis, cum
 virtus ubique per sese magna sit: cum id, quod causæ publicæ, quod religioni, quod
 Christo impenditur, honestissimum & maximum habeatur: cum id abesse nullo modo
 debeat, sine quo cetera labant: denique cum & in ijs, quæ ingenio manuque sabrefiunt;
 & ijs, quæ natura progignit, ut mole quedam, ita quedam subtilitate ac genere mira
 sint. Non enim id eò margarita vilis, quia exigua, ut sanctus Paulinus ait, sed ideo
 magis pretiosa, quia & in exiguo modo magnum pretium habet.
 Quod si mirabilium cupidus tenet, primum cognoscere oportet, quæ admirabilitatis
 vera sit ratio. Scientia est minimè vulgaris scire admirari: & id quoque discendum
 est ex norma intelligentium. Reuera maius miraculum est (ita disputat Nestoros
 Abbas apud Ioannem Cassianum) de propria carne fomitem luxuriæ eradicare,
 quam expellere immundos spiritus corporibus alienis: & magnificentius
 signum est virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ prohibere, quam
 acrijs principatibus imperare: plusque est exclusisse edacissimos de corpore
 proprio tristitiæ morbos, quam valetudines alterius, febresque corporeas ex-
 pulisse: postremò multis modis præclarior virtus, sublimiorque profectus est
 animæ propriæ curare languores, quam corporis alieni. Neque illa minùs præ-
 clare vereque Abbas Charemon apud auctorem eundem. Quis planè non miretur ope-
 ra Dei, ac toto non proclamet affectu, Quia ego cognoui quod magnus est
 Dominus: cum vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex pro-
 digio continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum
 hirsutumque perspexerit, & egestate atque angustia præsentium rerum etiam
 voluntarie perfruentem? Ista sunt profectò mira opera Dei, quæ peculiariter
 anima Prophetæ, similitumque eius mirificæ contemplationis intuitu stupe-
 facta cognoscit. Ista sunt prodigia, quæ posuit super terram, quæ idem Pro-
 pheta considerans ad admirationem eorum cunctos populos aduocat dicens,
 Venite, & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella
 usque

S. Ambrosius.
 de paenit.
 c. 6.

Plato 5. de
 leg. ad fin.

Lin. dec. 3.
 lib. 7.

Arist. Pol. 1.
 5. c. 2. & 3.
 & 4. Plato
 4. de rep.

Polyb. 1. 4.
 med.

S. Anselm. ep.
 6. ad Mo-
 nachos.

S. Paulin.
 epist. 1. ad
 Amandum

Quæ verè
 sint admi-
 randa.

Coll. 15. c. 9.

Coll. 12.
 c. 12.

vsque ad finem terræ: arcum conteret, & confringeret arma, & scuta combu-
ret igni. Quod enim maius potest esse prodigium, quàm sub momento
breuissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus
truculentis prædicatores Euangelij patientissimos reddi, ita ut eā, quam per-
sequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt ope-
ra Dei, quæ se quotidie vnā cum Patre operari Filius protestatur dicens, Pa-
ter meus vsque modò operatur, & ego operor. De istis operibus Dei beatus
Dauid in spiritu canens, Benedictus, inquit, Dominus Deus Israël, qui facit
mirabilia magna solus. De istis & Amos Propheta, Qui facit, inquit, omnia,
& conuertit ea, & transmutat in matutinam vmbra mortis.

Quæ si de propria cuiusq; commutatione, cum per diuinæ gratiæ opem ab terreno in cæ-
lestem hominem transit, summo iure dicuntur, conuersiones vtiq; alienas tanto mirabi-
liores videri conuenit, quanto minùs in potestate sunt hominum. Benigna esset materia, si
liberet, ut inuitat locus, excurrere in laudes laborum, qui animarum causa suscipiuntur:
quod omnium diuinissimum opus ab Areopagita vocari vulgatum est. de quo Clemens
Alexandrinus ita decernit: Est autem maximum & perfectissimum bonum,
quando à malè faciendo, & à re malè gerenda ad virtutem & bonam actio-
nem possit quis aliquem traducere. Et sanctus Ambrosius: Bonum sapientis,
optimumq; propositum semper sibi etiam alios adiungere studet, errantes
emendare, corrigere vagantes. Magnificè verò, sed citra elationē Chrysostomus ma-
gis honoratum à Deo demonstrat hominem, cui tribuit facultatem, per quam posset sus-
tinere inopem, quàm si dedisset, ut ruiturū sustineret celum. At cui dedit non ut corpus,
sed ut animum pasceret, ut sustineret labentem, aut lapsum etiam restitueret, quid porro
dedit? Hæc enim (idem alibi inquit) est maior eleemosyna, quàm illa (nimirum
quæ corpori opitulatur) imò maior, quàm decem millia talentorum, quàm hic
mundus vniuersus, quantus quantus vndique patet oculis. Siquidem homo
est toto mundo pretiosior. Huius enim cauta & cælum, & terra, & mare con-
dita sunt, & sol, & stellæ. Et si pecuniæ vim immensam dinumerauerit aliquis,
nihil simile præstiterit ei quod præstat is qui seruat animā. Tantum deniq; opus
est procuratio animarum, ut in eam Deus ipse sua, ut sic loquar, omnia conferat; in eam
vniuersitatē omnium rerum; & quæ miraculorum omne culmē transcendunt, naturæ hu-
manæ susceptionem, summos mortalis vitæ labores, atque adeo durissimæ perpeffionem
necis intendat. Quare non immeritò animarū conuersio quibusuis prodigijs antefertur,
ad quam prodigia ipsa referuntur. Amplius quoque est resuscitare semper victurum, ut
ait sanctus Augustinus, quàm resuscitare iterum moriturum. Et Magnus Gregorius
alijs etiam nominibus præferens ita disputat, Quæ nimirum miracula tanto ma-
iora sunt, quanto spiritualia; tanto maiora sunt, quanto per hæc non corpo-
ra, sed animæ suscitantur. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquan-
do sanctitatem, non autem faciunt; hæc verò spiritualia, quæ aguntur in me-
te, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere & mali possunt, istis
autem perfrui nisi boni non possunt. Quæ cum ita sint, rectè D. Bernardus cum ab
sancto Malachia reuocatam à morte feminam memorasset, continuoq; de altera retu-
lisset, ex furente iracunda in mansuetudinem commutata, subiicit: Si licet & me iux-
ta Apostolum, abundare in sensu meo, accipiat quisque ut volet, ego istud
suscitata miraculo mortuæ cenfeo præferendum: quod exterior quidem ibi,
hic verò interior reuixerit homo. Adde postremò, quod sunt hæc operosiora non ra-
rò. Audi S. Ambrosium: Itaque Iesus Naue, qui potuit solem statuere ne proce-
deret, auaritiā hominum non potuit sultare, ne serperet. Ad vocem eius sol

stetit,

VI.
Quanti
æstimanda
procura-
tio anima-
rum.

Paulag. l. 1.
c. 12.

S. Amb. c.
18 de Arca
& Noë.

S. Chrys. ho.
vlt in
Matth. &
alibi.

Or. contra
Iud. in fine.

S. Aug. ser.
44 de ver.
Domini.
S. Greg. ho.
29.

S. Bern. in
Vita Ma-
la: b.

Multa vido
apud Sur.
To. V. Serm.
de vita S.
Seuerini
C. lon. Epif.
S. Amb. 2.
off. c. 26.

Sen. Sulp.
Dial. 3. c. 12

Dial. 1. c. 8.

VII
Historici
boni offi-
cium.

Linini
Dei. 1. l. 10.

lib. 18. in
proam.

In Vita S.
Germani c.
38. & 71.

VIII.
Non vir-
tutes solæ
narrandæ.
In Vita
S. Pauli.

stetit, auaritia non stetit. Inde S. Martinus, ut refert Seuerus, cum trananti flumen serpenti imperasset, ut retro se referret, & illa paruisset, altius ingemiscens ait, Serpentes me audiunt, & homines non audiunt. Et alibi apud eundem Seuerum Posthumianus, cum similia ferarum enarrasset obsequia, ad Christum conuersus cui sapit omne, quod brutum est, cui mite est omne, quod seuit, Tua sunt hæc, inquit, Christe miracula, & in hoc ingemiscimus, quod maiestatem tuam feræ sentiunt, homines non veretur.

Hæc itaque velim notent miracula, si qui nostros annales sua cura dignabuntur, quam crebra, quam varia, quam magna offerantur: ad hæc emulanda excitent ipsi sese. Tum enim seculum plane beatum sit, si quisque & bonus esse studeat, & alterum bonum efficere. Obfirmet proinde animum aduersus vulgi iudicia, cum i, qui sectatur perfecta virtutum, tum qui legit ac scribit. Ac scriptor quidem ante omnia enitatur, ut liberet errore animos, & opiniones vera inducat: tum id si minus procedat, nequaquam auferri se placendi studio sinat, ut per adulationem confirmet falsam multitudinis existimationem, & iucundis profutura posthabeat. Ne tædio quidem laboris, aut illecebra editionis præflesinet ad exitum cum iactura rerum. Temperanda & satietatis vitanda cura, ne longitudo, aut similitudo rerum paritura nauseam plus æquo timeatur. Quid enim prolixius, aut similius, quam tot per annos gesta ab Romanis bella cum Æquis, Volscis, Samnitibus, ac postea cum Liguribus apud Liuium? Ille tamen molliciem quorundam ita castigat, Qui nam sit ille, quem pigeat longinquitatis bellorum scribendo legendoque, quæ gerentes non fatigauerunt? Mihi vero, & pudorem illa Plinij testificatio ingerat de reperta ex animalibus medicina dicere exordientis: Quin omne infumemus operam, licet fastidij periculum vrgeat, quando ita decretum est, minorem gratiæ, quam vilitatum vitæ respectum habere. Potius ergo lectorem meum cum Fortunato exhorter, ut, quoniam de Dei dono non debet esse fastidium, non sit fastidium audire, quod Christus suis præstitit fidelibus. Quæ cum dicuntur, nequaquam laudantur immodica: sed & scribentium quorundam, qui tantum summa rerum, eorum modo, qui breuiaria concinnant, carpunt, & lectorum impatientiam, nihil nisi aridam ac ieiunam narrationem tolerantium probare non possumus. Distat enim expositio historica ab epitomis. Suum lumen amant res: suus narrationi, maximeque Religiosæ quidam succus & sanguis aspergi debet. Quo loco profiteri mihi fas est, cum multa in opere meo peccari à me non inficiar, maxime in delectu materiæ laborasse, instar Phocionis quid omitti magis, quam quid poni posset, assidue considerantem. Tanta abundabat dignarum rerum vberitas. Itaque tota hac in Historia breuitate potius, quam longinquitate peccatum. id argumento est, quod ita ferè omnes, de ea quisque, re, quam aliunde cognouit, existimant: & multi addita multa vellent, quæ ipsi digna censent. Sed ab his duo rogamus, primum condonent nobis, si mediocritati voluminum consulendum putauimus: deinde quæ apposumus, eadem pendant studij ac benignitatis trutina, quæ quisque ponderat sua. Ita fiet, ut, si minus desinant prætermissa requirere, gratiora certè habeant, quæ traduntur.

Iam verò quod non laudabilia solum, sed etiam quæ secius sint, à nobis prodantur, & quidem primum (ut cum sancto Hieronymo loquar) testor Iesum me nihil de quoquam in vtramque partem fingere: sed historiam scribentem non panegyricum, præclara libenter, alia necessariò memorare. Quippe tum historiæ naturam, tum omnium seculorum ac gestuum sacra & quæ ac profana, vetera ac recentia rerum gestarum monumenta consideranti, tum demum quanta perturbatio, quam graues ac perniciosi errores in humanam vitam, atque adeò in religionem (aliter sifleret) inueherentur, omnino persuasum est, quæ ad veram iustamque ciuitatis aut personæ, de qua scribitur, creandam opinionem necessaria sint, reticere salua fide, ac proinde sine fraude, non posse. Deinde quid agerem? vtrum ne quæ virtutis non sint, facta omnia reticerem ad quemcunque pertineant, an quæ tantum

ad

ad quosdam? Si prius, cuncta periret Historia. Quantum enim vel ipsarum virtutū est, quod non sit cum vitio alieno coniunctum? Posterius velle non poteram, ne fierem abominandus, ac detestabilis Deo, oraculum diuinum non ignorans, Pondus, & pondus; mensura, & mensura; utrumque abominabile est apud Deum. Quid porro? Virtutes multorum, quæ maxime clarent aduersis (nam discamus & Sanctorum inuidiam, inquit Ambrosius, ut imitemur patientiam) consilia prudentum, per quæ difficillimi casus explicati sunt: prouidentia Dei non modo per externas, sed & per intestinas prosperè vehens procellas, obruenda sunt tenebris? Ergo & improbitas illo notitiæ publicæ quasi freno carebit? Denique vita humana, ac priuatim Religiosa schola fraudanda est ea institutionis parte, quæ capitur ex vitæ exemplis? Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, ait Liuius, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: unde tibi, tuæque reipublice, quod imitere capias: unde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Primam Historiæ commoditatem scitè huc refert Polybius, quod alieno periculo quæ felicissima doctrina est sapientia ediscatur. Sed Magistros audiamus è disciplina Christi. Iustinus Martyr ad Zenam & Serenum ita scribit: Vobis etiam non dubitavi scribere, ut pueriles quorundam viuendi rationes cognosceretis. Cognitio enim generis viuendi eorum, qui rationem ducem in vita non sequuntur, prudentes eos efficit, qui diligentiam curamque adhibent, ne in similia incidunt. Veteres Aegypti Patres, Cassiano teste, apud iuniores æquè de virtutibus atque vitis tum rationibus, tum exemplis vtriusque generis discebant, ut futurorum, inquit, certaminum, antequam superuenirent eruditi, quomodo præcauere, & occurrere eis, vel configere deberent, instruerentur. Auctor vitæ Pachomij, Quomodo, inquit, hunc virum bonum & industriū produximus in medium ad eos incitandos, qui volunt bona sectari, ita etiam par est meminisse prauorum & ignauorum, ut sint cauti, qui audiunt. Eandem ob causam idem proficitur (si dignus est hoc confessu) Palladius, additque: Ut simul tanto sint laudabiles magis, qui rectè, & ex virtute se gerunt. Longum faciam, si percensere contendam, quæ ex vitiorum narratione commoda in vitam humanam redeant. Apud SS. Patres sapientiæ Christianæ magistros multa extant, dum rationem reddunt, quare talia sacris codicibus (quos imitari quem pudeat?) consignari Deus voluerit. Nec pauca in priore Davidis Apologia Ambrosius ponit. Sed huic loco nihil aptius illa S. Augustini in psalmum vnde de similitudine disputatione. Modò autem ne securus laudes quamlibet vitam: ante mortem ne laudes hominem quemquam. Hinc autem falluntur homines, ut vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur: quia & cum laudare volunt, sic laudant, ut non ibi dicant mala, quæ mixta sunt; ut & qui vituperare volunt, tam inuido animo & peruerso vituperant, ut claudant oculos aduersus bona: & sola mala, quæ ibi vel sunt, vel putantur, exaggerant. Inde fit, ut vnaquæque professio male laudata, id est non cautè laudata, cum inuitauerit homines laude sua, inueniant illi, qui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse non credebant: & offensi à malis, refiliant à bonis. Obsecro, bone lector, totum locum inspicias. Animaduertes præstantissimū illum ita censere Doctorem, Religiosam vitam suscepturū & ad perseuerantiam, & ad caritatem fraternam conseruandam omnino necessarium esse prænosse in omni gradu & ordine admixta esse bonis mala: omnem professionem in Ecclesia habere fictos: eoque vehementer errare, ac perniciosissime fallere tum eos qui tantum mala, tum item qui tantum bona peruulgant. Nullo igitur modo talia præterire vel Historicum professio licet, vel publicæ studiose utilitatis expedit. Illud tamen conandum vir bonus nemo negauerit, ut ex his quoque utilitas quam

Prov. 20.
Deut. 25.

Ambrosii
de Iosepho
cap. 1.

In procem.
Deo.

Polyb. in his
lib. 1.

Cass. lib. 2.
Inquit. c. 46.

Vita Pach.
cap. 32.

Palladius. c. 5.
in fin. encl.
c. 31. & 34.

August. in
psalm. 99.

quàm solidissima, & quoad veritas concedat, nullo admixta incommodo capiat. Ní-
 cephorus proficitur omnia se vtilia colligere, & interdum è serpentibus andromachen
 conficere. Studium enim verò præclarum. Quemadmodum enim Andromachus salu-
 berrimo medicamento, cui & nomen dedit (sed vulgus Theriacam mauult dicere) in-
 uento viam reperit, per quam & noxia prodesse, & venenum veneno exarmaretur:
 ita enitendum Scriptori est viroque bono, vt vitiorum commemoratio fiat remedium vi-
 tiorum. Sapientis quoque lectoris est non mirari si homines cuiuscumque propositi sint,
 interdum labuntur ac peccant, cum mirum sit magis si homo peccato careat, quàm si
 peccatum aliquod affectet. Nec opinionem virtutis apud se cuiusquam minuere debet,
 si delictum ille correxerit, cum tam multos, qui non mediocriter aliquando peccarunt,
 colamus in celo Sanctos. Nec demum existimandus est auctor inconstans, si eundem
 nunc laudet, nunc reprehendat. Talis enim vita est hominum non raro inconstans; &
 humane vite simulacrum Historia verum est: non, sicut poema, ad speciosam imagi-
 nem, atque mirabilem personam fictum.

IX.
 Quæ mo-
 destia Hi-
 storicum
 decet.

Modestiam in Scriptore quidam eam probant, atque adeò requirunt, vt res perin-
 de vt sunt, exponat, vitiorum nulla insecutione. Quæ nobis modestia extra modum
 videtur. Maledicentia quidem nulli hominum minus conueniat. Ceterum vt lauda-
 re tempestiuè virtutes, ita deformare vitia eiusdem fuerit. Primum quia admonendus
 est lector, qui sæpè est rudis, vt quod vitiosum est, esse intelligat. Deinde vt ab imi-
 tatione deterreatur. Multò minus ferendi, qui de Hereticis atque Catholicis ita memo-
 rent, tanquam medijs velint videri. Diuersa ratio est scribentium bella, quæ sæpè vtrin-
 que sunt iusta. An de Catilina, de quæ alijs, qui contra patriam coniurarunt, & arma ges-
 serunt, ita narrandum, vt de nationibus, quæ pro libertate imperioque iuste pugna-
 bant? Heretici perduelles, & proditores Ecclesiæ orthodoxæ sunt, veritatis hostes, sacro-
 rum perturbatores, rem publicam permiscent, pacem tollunt, animas diabolo mactant,
 regnum eius propagant, Christo bellum faciunt. Hoc ita est verum & persuasum Catholi-
 cis, vt sanguine testari non dubitemus. An igitur de tantis sceleribus & exitijs ignauè
 prodendum, mussandumque est? Ipsi, opinor, heretici si quam vnã sectam ex ani-
 mo sequantur, de alienis loquantur acerbius? Bona & in hoste laudanda non negamus;
 sed quid boni sit ijs, qui boni summam & caput perdididerunt? Vtinam haberent multa,
 quæ commendari possent, à nobis libenter (quod quidem non malignè factum legenti
 constabit) ea quoque publicarentur. Amamus enim in Christo homines, cum detestemur
 errores: & id cupimus precamurque, vt agnita veritate saluificent.

X.
 Notatio
 temporum
 salus veri-
 tatis.

Solinus c. 2.

Ad extremum existimabit quisquam pulcherrimas à nobis res nimium interdum
 temporum distinctione concisas; & quæ in vnum velut corpus redacta spirarent ac vi-
 uerent, distracta temporibus, tanquam dispersa locis membra ex anima frigere. Quod
 etiam tenuiora ampliore multò habitura speciem fuisse, si cum eiusdem generis multis
 conglobatim posita sub vnum aspectum fuissent. Nostra ratio hæc est. Primum leuissimã
 ducimus illam maiestatis quesitam speciem, cum ad iactantiam non scribamus. Deinde
 magnorum Scriptorum exempla veterum ac recentium sequimur. Postremo quoniam
 omnibus vbiq; commodis frui non licet, verissimeque dicitur annorum ratio cardinem
 veritati facere, incorruptam memoriam temporum, & in ea sitam veritatis incolu-
 mitatem tantum æstimamus, vt hanc vnã commoditatibus cæteris præferamus. Illud
 inficiari nec debeo, nec possum, multa mihi ab ingenio & facultate defuisse, quo minùs
 egregia facta diotis æquarem: sed curam fidemque præstitisse homini ex alieno nutu pē-
 denti, & inde opus aggresso satis fuerit.

HISTO.